

## Citata et reminiscentiae s. Scripturae apud s. Bernardum.

Scrispit P. Robertus W. Ord. Cist.

S. Bernardus, Abbas et Doctor egregius, Mellifluus, Θεοδίδακτος, quantum in Scripturae s. lectione versatus fuerit, ubique clamant ejus scripta, ita ut de ipso verba Petri Apostoli adhiberi possint dicentis: Si quis loquitur, quasi sermones Dei (1. Petri 4, 11). Facturum me operae pretium esse puto, si lectoribus ante oculos pono, quot A. et N. Testamenti sententias Doctor noster unico sermone inseruerit. Quod Bernardus quosdam Scripturae locos in sensum improprium ac minime literalem quandoque detorquet, adeo ut ludere potius in verbis, quam verba ipsa exponere videatur: id sane ea ratione excusare licet, quod in Scriptura multiplicem sensum, qui ad mores informandos conducatur, accomode erui posse crediderit vir sanctus, praesertim ubi non de fide agitur, sed de pio quodam argumento exornando, ad excitandam scilicet auditorum attentionem ac delectationem.

\* \* \*

### In Vigilia Nativitatis Domini.

Sermo Primus.

De pronuntiatione Martyrologii:

Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judae.

#### 1. Christi nativitas miranda.

Sonuit vox laetitiae in terra nostra,<sup>1)</sup> vox exultationis et salutis in tabernaculis peccatorum.<sup>2)</sup> Auditum est verbum bonum, verbum consolatorum,<sup>3)</sup> sermo iucunditate plenus,<sup>4)</sup> dignus omni acceptione.<sup>5)</sup> Jubilate montes laudem<sup>6)</sup> et omnia ligna silvarum plaudite manibus<sup>7)</sup> ante faciem Domini, quia venit.<sup>8)</sup> Audite coeli et auribus percipe terra,<sup>9)</sup> obstupesce<sup>10)</sup> et lauda universitas creaturae, sed tu magis, o homo:<sup>11)</sup> Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judae.<sup>12)</sup> Quis tam lapidei cordis,<sup>13)</sup> cuius anima non liquefacta sit in hoc verbo.<sup>14)</sup> Quid annuntiari dulcius poterat?<sup>15)</sup> Quid delectabilius commendari? Quid tale unquam auditum est, aut quid simile aliquando mundus accepit?<sup>16)</sup> Jesus-Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judae.<sup>17)</sup> O breve verbum de Verbo abbreviato,<sup>18)</sup> sed coelesti suavitate refertum!<sup>19)</sup> Laborat affectio mellifluae dulcedinis copiam latius effundere gestiens,<sup>20)</sup> nec inveniens verba.<sup>21)</sup> Tanta siquidem est gratia sermonis huius, ut continuo incipiat minus sapere, si unum iota mutavero.<sup>22)</sup> Jesus-Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judae.<sup>23)</sup> O Nativitas illibata sanctitate,<sup>24)</sup> honorabilis mundo,<sup>25)</sup> amabilis hominibus<sup>26)</sup> collati magnitudine beneficii, investigabilis<sup>27)</sup> etiam Angelis<sup>28)</sup> sacri profunditate mysterii, et in his omnibus admirabilis singulari excellentia novitatis; utpote quae nec primam similem visa est, nec habere sequentem.<sup>29)</sup> O partus solus sine dolore,<sup>30)</sup> solus nescius pudoris, corruptionis ignarus;<sup>31)</sup> non reserans sed consecrans vaginalis uteri<sup>32)</sup> templum.<sup>33)</sup> O Nativitas supra naturam, sed pro natura; miraculi excellentia superans, sed reparans virtute mysterii! Fratres, generationem istam quis enarrabit?<sup>34)</sup> Angelus

1) Jerem. 33, 10. 11. — 2) Ps. 117, 15. Ps. 83, 11. — 3) Zach. 1, 13. — 4) Ecc. 50, 20. — 5) 1 Tim. 1, 15. — 6) Is. 49, 13. — 7) Is. 55, 12; Ps. 95, 12. — 8) Ps. 97, 9. — 9) Is. 1, 2. — 10) Ps. 97, 9. — 11) Dan. 3, 57. 82; Job 25, 6. — 12) Matth. 2, 1. — 13) Ez. 11, 19. — 14) Cant. 5, 6. — 15) Luc. 2, 10. — 16) Is. 66, 8. — 17) Matth. 2, 1. — 18) Rom. 9, 28. — 19) Ecc. 50, 20. — 20) Prov. 16, 20—26. — 21) Amos 8, 12. — 22) Matth. 5, 18. — 23) Matth. 2, 1. — 24) Luc. 1, 35. — 25) Act. 5, 34. — 26) 2. Reg. 12, 25. — 27) Rom. 11, 33. — 28) Matth. 24, 36. — 29) Is. 66, 8. — 30) Gen. 3, 16. — 31) 1. Cor. 15, 42. 43. — 32) Matth. 1, 23. — 33) 3. Reg. 8. — 34) Is. 53, 8. —

nuntiat,<sup>1)</sup> virtus obumbrat Altissimi; supervenit Spiritus,<sup>2)</sup> Virgo credit,<sup>3)</sup> fide<sup>4)</sup> concipit Virgo,<sup>5)</sup> parturit Virgo,<sup>6)</sup> manet Virgo: quis non miretur? Nascitur Altissimi Filius,<sup>7)</sup> Deus de Deo genitus ante saecula;<sup>8)</sup> nascitur Verbum<sup>9)</sup> infans; quis vel satis miretur?

## 2. Mundo quam fructuosa. Nativitatis tres fructus.

Nec sane otiosa nativitas, aut infructuosa dignatio maiestatis. Jesus-Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judae.<sup>10)</sup> Vos qui in pulvere estis, expergiscimini et laudate.<sup>11)</sup> Ecce Dominus venit cum salute, venit cum unguentis, venit cum gloria.<sup>12)</sup> Neque enim sine salute Jesus, neque sine unctione Christus, nec sine gloria venit Dei Filius,<sup>13)</sup> siquidem ipse salus, ipse unctio, ipse gloria, sicut scriptum est: Gloria Patris filius sapiens.<sup>14)</sup> Felix anima, quae gustato salutis fructu<sup>15)</sup> trahitur et currit in odorem unguentorum,<sup>16)</sup> ut videat gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre.<sup>17)</sup> Respirate perdit: venit Jesus quaerere et salvum facere quod perierat.<sup>18)</sup> Morbidi convalescite:<sup>19)</sup> venit Christus, qui contritos corde sanat unctione misericordiae.<sup>20)</sup> Exultate quicumque<sup>21)</sup> estis grandia concupiscentes: descendit ad vos Filius Dei,<sup>22)</sup> ut regni sui faciat cohaereditas.<sup>23)</sup> Ita obsecro, sana<sup>24)</sup> me, Domine, et sanabor; salvum me fac et salvus ero:<sup>25)</sup> glorifica et ero gloriosus.<sup>26)</sup> Sic nempe benedicet anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto eius, cum propitiatus fueris omnibus iniquitatibus meis, sanaveris omnes infirmitates meas, repleveris in bonis desiderium meum.<sup>27)</sup> Haec tria, dilectissimi, sapit mihi,<sup>28)</sup> quod audio nasci Jesum-Christum Filium Dei.<sup>29)</sup> Quare enim vocamus nomen eius Jesum, nisi quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum?<sup>30)</sup> Aut quare Christus nominari voluit,<sup>31)</sup> nisi quia computrescere faciet iugum a facie olei?<sup>32)</sup> Quare Filius Dei factus est homo, nisi ut homines faceret filios Dei?<sup>33)</sup> Voluntati autem eius quis resistit?<sup>34)</sup> Jesus qui iustificat, quis est qui condemnet?<sup>35)</sup> Christus qui sanat, quis est qui vulneret?<sup>36)</sup> Filius Dei qui exultat, quis est qui humiliet?<sup>37)</sup>

## 3. 1. Peccata delet, 2. vitia sanat, 3. nos exultat.

Nascitur ergo Jesus: gaudeat<sup>38)</sup> quisquis ille est, quem perpetuae damnationis reum<sup>39)</sup> adiudicabat conscientia peccatorum.<sup>40)</sup> Excedit quippe pietas Jesu omnem criminum quantitatem seu numerositatem.<sup>41)</sup> Nascitur Christus:<sup>42)</sup> laetetur quicumque vitis impugnabatur antiquis.<sup>43)</sup> Siquidem ante faciem unctionis Christi nullus omnino stare poterit<sup>44)</sup> morbus animae quamlibet inveteratus.<sup>45)</sup> Nascitur Filius Dei:<sup>46)</sup> exultat qui magna solet desiderare,<sup>47)</sup> quia magnus munerator advenit.<sup>48)</sup> Fratres, hic est heres: devote suscipiamus eum, sic enim et hereditas nostra erit.<sup>49)</sup> Qui enim proprium filium dedit, quoniam non omnia nobis simul cum filio donavit?<sup>50)</sup> nemo discredat, nemo haesitet;<sup>51)</sup> habemus testimonium credibile nimis:<sup>52)</sup> Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.<sup>53)</sup> Fratres habere

1) Luc. 1, 31. — 2) Luc. 1, 35. — 3) Luc. 1, 45. — 4) Hebr. 11. — 5) Matth. 1, 18; Is. 7, 14. — 6) Luc. 2, 7; Is. 7, 14. — 7) Luc. 1, 32. — 8) Ps. 2, 7. — 9) Joa. 1, 14. — 10) Matth. 2, 1. — 11) Is. 26, 19. — 12) Is. 62, 11; Luc. 2, 11. — 13) Idem. — 14) Prov. 10, 1. — 15) Gen. 3, 6; Ecc. 1, 22. — 16) Cant. 1, 3. — 17) Joh. 1, 14. — 18) Luc. 19, 10. — 19) Is. 26, 19. — 20) Luc. 4, 18; Is. 61, 1. — 21) Is. 66, 10; Rom. 12, 16. — 22) Joa. 6, 33. 40. — 23) Jac. 2, 5; Rom. 8, 17. — 24) Num. 12, 13. — 25) Jer. 17, 14. — 26) Is. 43, 4. — 27) Ps. 102, 1. 3. 5. — 28) Eccli. 25, 1. — 29) Matth. 2, 1. — 30) Matth. 1, 21. — 31) Matth. 1, 16. — 32) Is. 10, 27. — 33) Gal. 4, 4. 5. — 34) Rom. 9, 19. — 35) Rom. 8, 33. — 36) Job 5, 18. — 37) 1. Reg. 2, 7; Eccli. 7, 12. — 38) Luc. 2, 10. 11. — 39) Marc. 3, 29. — 40) Rom. 2, 15. — 41) 1. Petr. 4, 8. — 42) Luc. 2, 10. 11. — 43) 2. Petr. 1, 9. — 44) 1. Reg. 6, 20. — 45) Luc. 8, 43. — 46) Luc. 2, 10. 11. — 47) Jer. 45, 5; Rom. 12, 16. — 48) Hebr. 10, 35; 11, 6. — 49) Marc. 12, 6. 7. — 50) Rom. 8, 32. — 51) Jacob 1, 6. — 52) Ps. 92, 5. — 53) Joa. 1, 14. —

voluit Unigenitus Dei, ut esset in multis fratribus primogenitus ipse.<sup>1)</sup> Utque nihil haesitet<sup>2)</sup> ipsa pusillanimitas<sup>3)</sup> fragilitatis humanae, prius ipse factus est hominum frater,<sup>4)</sup> factus est hominis filius,<sup>5)</sup> factus est homo.<sup>6)</sup> Si et hoc homo iudicat incredibile,<sup>7)</sup> fidem adstruunt oculi.<sup>8)</sup>

#### 4. Bethlehem felicitas et gloria.

Jesus-Christus natus est in Bethlehem Judae.<sup>9)</sup> Et vide dignationem. Non in Jerusalem civitate regia;<sup>10)</sup> sed in Bethlehem, quae minima est in millibus Juda.<sup>11)</sup> O Bethlehem parva, sed iam magnificata a Domino!<sup>12)</sup> magnificavit te qui factus est in te parvus ex magno. Laetare Bethlehem,<sup>13)</sup> et per omnes vicos tuos festivum hodie Alleluia cantetur.<sup>14)</sup> Quae tibi civitas, si audiat, non videat pretiosissimum illud stabulum et illius praeseptii gloriam?<sup>15)</sup> In universa siquidem terra celebre est nomen tuum,<sup>16)</sup> et beatam te dicunt omnes generationes.<sup>17)</sup> Ubique gloriosa dicuntur de te, civitas Dei: ubique psallitur, quia homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.<sup>18)</sup> Ubique, inquam, praedicatur, ubique clamatur, quia Jesus-Christus, filius Dei, nascitur in Bethlehem Judae.<sup>19)</sup> Nec otiosum quod additur Judae, siquidem admonet nos eius quae ad patres facta est reprobmissio.<sup>20)</sup> Non auferetur, inquit, sceptrum de Juda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.<sup>21)</sup> Salus quippe ex Judaeis,<sup>22)</sup> sed salus usque ad fines terrae.<sup>23)</sup> Juda, inquit, te laudabunt fratres tui. Manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum,<sup>24)</sup> et caetera, quae de Juda illo nusquam legimus, sed in Christo videmus impleta.<sup>25)</sup> Ipse est enim Leo de tribu Juda,<sup>26)</sup> de quo et additur: Catulus leonis Juda, ad praedam, inquit, fili mi, ascendisti.<sup>27)</sup> Magnus praedator Christus, qui priusquam sciat vocare patrem aut matrem, Samariae spolia diripit.<sup>28)</sup> Magnus praedator Christus, qui ascendens in altum, captivam duxit captivitatem:<sup>29)</sup> nec tamen abstulit quidquam,<sup>30)</sup> sed magis ipse dedit dona hominibus.<sup>31)</sup> Has itaque et ceteras similes prophetias impletas in Christo (de eo siquidem et praedictas)<sup>32)</sup> ad mentem revocat, quod dicitur: Bethlehem Judae:<sup>33)</sup> nec omnino quaerere est, utrum a Bethlehem possit aliquid boni esse.<sup>34)</sup>

#### 5. Paupertatem et humilitatem nobis commendat locus nativitatis Christi.

Sane quod ad nos spectat, discimus etiam ex hoc<sup>35)</sup> quemadmodum suscipi velit,<sup>36)</sup> qui in Bethlehem voluit nasci. Erat enim qui forte ei sublimia quaerenda arbitraretur esse palatia, ubi cum gloria Rex gloriae<sup>37)</sup> susciperetur:<sup>38)</sup> sed non propter hoc a regalibus illis sedibus venit.<sup>39)</sup> In sinistra eius divitiae et gloria, in dextera longiturnitas vitae.<sup>40)</sup> Horum omnium aeterna in coelis affluentia suppetebat,<sup>41)</sup> sed paupertas non inveniebatur in eis.<sup>42)</sup> Porro in terris abundabat et superbabundabat haec species,<sup>43)</sup> et nesciebat homo pretium ejus.<sup>44)</sup> Hanc itaque Dei Filius concupiscens<sup>45)</sup> descendit, ut eam eligat sibi,<sup>46)</sup> et nobis quoque sua aestimatione faciat pretiosam.<sup>47)</sup> Adorna thalamum tuum, Sion; sed humilitate, sed paupertate.<sup>48)</sup> In his enim pannis complacet sibi,<sup>49)</sup> et Maria testimonium perhibente,<sup>50)</sup> his sericis delectatur involvi.<sup>51)</sup> Abominaciones Aegyptiorum immola Deo tuo.<sup>52)</sup>

<sup>1)</sup> Rom. 8, 29. — <sup>2)</sup> Jac. 1, 6. — <sup>3)</sup> Ps. 54, 9. — <sup>4)</sup> Rom. 8, 29. — <sup>5)</sup> Matth. 18, 11 et saepius. — <sup>6)</sup> Joa. 1, 14. — <sup>7)</sup> Act. 26, 8. — <sup>8)</sup> Rom. 10, 17. — <sup>9)</sup> Matth. 2, 1. — <sup>10)</sup> Matth. 5, 35. — <sup>11)</sup> Matth. 2, 6; Mich. 5, 2. — <sup>12)</sup> Mich. 5, 2. 4. — <sup>13)</sup> Thren. 4, 21. — <sup>14)</sup> Tob. 13, 22. — <sup>15)</sup> Luc. 2, 7. — <sup>16)</sup> Ps. 8, 2; Ruth 4, 11. — <sup>17)</sup> Luc. 1, 48. — <sup>18)</sup> Ps. 86, 3. 5. — <sup>19)</sup> Matth. 2, 1. — <sup>20)</sup> Act. 26, 6. — <sup>21)</sup> Gen. 49, 10. — <sup>22)</sup> Joa. 4, 22. — <sup>23)</sup> Is. 49, 6. — <sup>24)</sup> Gen. 49, 8. — <sup>25)</sup> Luc. 22, 37. — <sup>26)</sup> Apoc. 5, 5. — <sup>27)</sup> Gen. 49, 9. — <sup>28)</sup> Is. 8, 4; Ez. 29, 19. — <sup>29)</sup> Eph. 4, 8. — <sup>30)</sup> Gen. 49, 10. — <sup>31)</sup> Eph. 4, 8. — <sup>32)</sup> Act. 1, 16. — <sup>33)</sup> Matth. 2, 5. — <sup>34)</sup> Joa. 1, 46. — <sup>35)</sup> Matth. 11, 29. — <sup>36)</sup> Marc. 9, 36. — <sup>37)</sup> Ps. 23, 9. — <sup>38)</sup> Ps. 72, 24. — <sup>39)</sup> Sap. 18, 15. — <sup>40)</sup> Prov. 3, 16. — <sup>41)</sup> I. Tim. 6, 17. — <sup>42)</sup> Ecce. 9, 15. — <sup>43)</sup> Rom. 5, 20. — <sup>44)</sup> Job. 28, 12. 13. — <sup>45)</sup> Eccl. 1, 33. — <sup>46)</sup> Ps. 131, 13. — <sup>47)</sup> Jac. 2, 5. 6. — <sup>48)</sup> Is. 52, 1. — <sup>49)</sup> Is. 42, 1. — <sup>50)</sup> Act. 14, 3. — <sup>51)</sup> Luc. 2, 7. — <sup>52)</sup> Exod. 8, 26. —

6. Bethlehem et Judae allegorica expositio Eucharistia quomodo suscipienda.

Considera denique quod in Bethlehem Judae nascitur,<sup>1)</sup> et sollicitus esto,<sup>2)</sup> quomodo Bethlehem Judae inveniaris; et iam ne in te quidem suscipi dedignatur.<sup>3)</sup> Bethlehem quippe domus panis, Juda sonat confessionem.<sup>4)</sup> Tu ergo, si divini verbi pabulo<sup>5)</sup> repleas animam tuam,<sup>6)</sup> fideliterque, etsi non digna, certe quanta potes devotione suscipias<sup>7)</sup> panem illum, qui de coelo descendit et dat vitam mundo,<sup>8)</sup> Dominicum scilicet corpus Jesu;<sup>9)</sup> ut veterem utrem corporis tui nova illa resurrectionis caro<sup>10)</sup> reficiat et sustineat, quatenus novum quod intus est vinum, hoc solidatus glutino, valeat continere;<sup>11)</sup> sed denique ex fide vivas,<sup>12)</sup> et nequaquam gemere oporteat, quia oblitus sis comedere panem tuum.<sup>13)</sup> Bethlehem factus es, dignus plane susceptione Dominica, si tamen confessio non defuerit. Sit proinde Judaea sanctificatio tua:<sup>14)</sup> confessionem et decorem induere,<sup>15)</sup> quam maxime stolam in ministris suis Christus acceptat.<sup>16)</sup> Denique breviter tibi utrumque commendat Apostolus: Corde, inquit, creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.<sup>17)</sup> Iustitia siquidem in corde, panis in domo. Est enim iustitia panis. Et, Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.<sup>18)</sup> Sit ergo in corde iustitia, et iustitia quae ex fide est.<sup>19)</sup> Sit etiam in ore confessio ad salutem:<sup>20)</sup> et securus iam suscipe eum, qui in Bethlehem Judae nascitur,<sup>21)</sup> Jesum-Christum<sup>22)</sup> Filium Dei.<sup>23)</sup>

## Die Bemühungen des Benedictiners P. Placidus Amon um die deutsche Sprache und Literatur.

Von Dr. Rudolf Schachinger, Capitular des Stiftes Melk.

(Fortsetzung aus Jahrg. X. Heft II, S. 282—290.)

Graser an Amon.

Eurer Hochw. letztes Antwortschreiben hat mir alle angebrachte Zweifel vollkommen gehoben. Ich wuste zwar schon zuvor, dass in unsrer Sprache sich noch zur Zeit ein Vieles befinde, worinn die Sprachlehrer unter sich uneinig sind: aber eben dieses kann einen Anfänger, der sich die möglichste Reinigkeit zum Hauptzwecke gesetzt hat, oftmals sehr unschlüssig machen, was für einer Partey Meynung er hier und da beytreten solle. Nun aber ziehe ich aus Eur. Hochw. gemeldten Schreiben die bescheidene Lehre, in willkührlichen Dingen eine grössere Freyheit zu brauchen. Es soll künftig geschehen: und ich werde in dergleichen Fällen, nicht minder als Sie, überhaupt Gottscheds Lehre vor allen andern Folge leisten.

Eu. Hochw. preisen mir ein Werk an, welches die gelehrte Welt der gelehrten Frau Gottschedinn zu verdanken hat. Es ist die Uebersetzung der *histoire de l'Academie française*. Ich habe sie in dem Verzeichnisse der gottschedischen Schriften angetroffen, und es befindet sich der Grundtext davon in unserm Büchersaale. Ich werde demselben nachsuchen, um in Durchlesung dessen einen Begriff von dem Inhalte zu bekommen. Wenn die Uebersetzung sich auf sieben Bände mit eingemengten Kupfern beläuft: so wird das ganze Werk theuer zu stehen kommen. Nur neulich habe ich auch eine Uebersetzung erkaufte, die eben aus dieser geschickten Feder geflossen. Sie führt den Titel: *Neue Sammlung auserlesener Stücke aus Popens, Fachards, Newtons und anderer Schriften, übersetzt von Luisen etc.* 1749. Es besteht nur in einem Octavbände. In der Vorrede

1) Matth. 2, 1. — 2) Jos. 23, 6. — 3) Luc. 19, 5. 6. — 4) Gen. 29, 35. — 5) Matth. 4, 4. — 6) Prov. 13, 25. — 7) 1. Cor. 11, 29. — 8) Joa. 6, 33. — 9) 1. Cor. 11, 29. — 10) Job 19, 26. — 11) Matth. 9, 17. — 12) Rom. 1, 17. — 13) Ps. 101, 5. 6. — 14) Ps. 113, 2. — 15) Ps. 103, 1. — 16) Rom. 14, 17. 18. — 17) Rom. 10, 10. — 18) Matth. 5, 6. — 19) Rom. 9, 30. — 20) Rom. 10, 10. — 21) Matth. 2, 1. — 22) Luc. 2, 11. — 23) Luc. 1, 35.